



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Iudex sapiens & æquus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

gito loquitur, id est, extendit digitum, ut admirationem conciliet, ac interim corde machinatur malum. Quis satis caveat sibi ab his avibus de nocte, hoc est, sub caligine fraudis volantibus, & visa, auditaque ferali sono in crimen & accusationem vocantibus? Et verò quicumque loquaces sunt, plerumque obtrectatores & vaniloqui insimulatores sunt, candidaque nigris vertunt. Corvus apud Ovidium lib. 2. Metam. initio albis erat plumis: loquacitas nigrum reddidit, canente Poëta:

Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.

IV. (d) Proserpina de sententia Jovis alteram anni partem cum conjuge, alteram cum matre commorari iussa est. Eminent in hoc iudicio sapientia Judicis, qui factus sequester litis inter fratrem & sororem, cum neutram vellet, nec posset offendere partem, illis retinendæ Proserpinæ jus ex æquo, partitus est: & illud quasi Salomonis 3. Reg. 3. pronuntiavit: *Dividatur*. Requirit enim æquitas, ut cum satis *haud liquet* causa, teneatur medium, ne pars alterutra lædatur. Maro canit:

Rex Jupiter omnibus idem.

Hoc Judicantis officium est, ut in ambigua controversia neutri litigantium parti abjudicet causam, sed *dividat*: neque lancem paribus argumentis libratam, auro prægravari sinat; parum enim differunt *Plutus* & *Pluto*, & hic per illum sapius in judicijs triumphat.

V. (e) Nescio, an Proserpinæ dimidiata apud inferos, & superos commoratio, non etiam significare possit feminarum quarundam mutabilem & perversam indolem; quæ studijs quandoque pietatis ita videntur addictæ, ut eas inter Cœlites agere, & vitam vivere innocentem ac beatam existimes; Rursus subitò ponunt larvam, & vix è limine sacro domum reduces, adeò debacchari incipiunt in maritum & domesticos, ut *Proserpinas* agnoscas Plutonio thoro dignas, *Dixeris*, manè fuisse Charites, meridiè homines, vespere Furias.



(d) Iudex sapiens & æquus. (e) Mutabiles feminarum mores.

SYM-